Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 221
Quelle:
Copyright:

bus edificabatur: Sanctuarium Dei quasi hereditarie posidebatur. Grex Domini presentia pastorum priuabatur: Patrimonium Christi in vanitatibus et pompis consumebatur: Templa Domini cultus ruinam patiebantur: indigni dignitatibus extollebantur; digni postponebantur: Si eis beneficia dabantur, post pro indignis reseruabantur. Viri ecclesiastici mundana cupiebant, spiritualia fastidiebant; Legibus seculi, litium fomentis studebant; diuinis eloquiis pro animarum incendiis non pollebant. quid plura? Obseruancia dignissime rerum spiritualium regule carnalium negligentia posterorum fere omnes labefacte. Quibus patrum antiquitas operibus tenebrarum dissona displicuit, et suarum inuencionum tradicionumque diuine Legis emula nouitas placuit, qua lites perpetuabantur, et mille fraudes in ciuitate Dei committebantur; Simonia, beneficia vendebantur, episcopatus conferebat; indulgencias, absoluciones, dispensaciones pecunia impetrabat; auaricia exaccionibus premebat; auaricia omnia sciebat et omnes peruertebat; Luxuria ardebat. Sed quia tandem viciorum inicium et consumatio accedens pacis emula Superbia ciuitatem Dei universam discordia confundebat: hanc igitur vidit propheta iniquitatem, que, ut vereor, concepit dolum (sic) *et peperit contradictionem in ciuitate.*

Postquam contradictionem, proch dolor! presens contentiosum scisma non solum Legibus diuinis et humanis aduersarium, scilicet inuiolabilem utique contradictionis (traditionis?) *Legem infringere temptans, cum jus positiuum assercioni standum esse contendat et ipsi contradictoria qua equo veritatis testimonio asseruerunt, ut patebit infra. Ergo quid mirum, si hoc scisma, nequam contradictionis proles, monstrum monstrorum, que contradictio gignit suam monstruositatem rebus omnibus inimicam cunctis Legitimis interemptis decursibus confundat. multa ambiguitate perplexum et scrupulositate auxilium Christi tunice inconsutilis Laterum ecclesiastici ordinis confusiuum, generalium studiorum dissipatiuum, heresium et errorum propagatiuum, populi Dei mille scandalis offensiuum, et quod horrendius est, turpi monstrositate deformatiuum sponse ihesu Christi, que jam diviso capite, ut ita loquar, facta est quasi acephala aut velud monstrum biceps. Quoniam de ipsius utero partus quasi viperinus erumpens gemellus, ruinis quassatis visceribus matrem diuisit: diuisam in doloribus vsque adhuc diuisit, Legitimas reunionis medelas non querit, quantus* (quamvis?) *conspiciat de malo in pejus maternum putrescere vulnus, gemitibus utique deflendum lacrimosis. Inde quia non dum* (non modo?) *caput ecclesie langwet, ut* (et?) *viscerum dolor ventrem distorquet, sed et in membris ecclesiae venenata vulneris redundantia dolorose apostemata et febricitat. que triplex morbida propago sacrosanctam fidelium ecclesiam hodie exclamare cogit, Caput meum doleo, ventrem*